

cum domino sextæ in Leone, qui est in secunda radicis, tamen in sexta loco Lunæ radicis, dat cruditatem stomachi, quoniam Leo stomachum habet, & Luna est dupli citer infortunata, primo, quia in sexto signo à radice sua existit, secundo, quia coniungitur cum domino sextæ nativitatis &c.

Luna, uel profectionis eius ad quadratum, uel oppositum Mercurij radicis, aut revolutionis si peruererit, aliquam perturbationem ex parte seruorum, aut alicuius hominis Mercurialis, uel rei expectetur, causa significatorum illius domus in qua Mercurius fuerit, uel causa domus, cuius ipse dominus extiterit.

Cum Luminaria peruererint ad quadratum, uel oppositum locum radicis, & infortunæ ad loca radicis, uel ad quadratum, uel oppositum eorum, & profectionis ascendentis, & Lunæ similiter ad loca mala, significant magnum periculum corporis, ac discrasiam, dura negocia, difficultates, & contrarietates.

Saturnus & Mars si testimonium habuerint in revolutione, & uiderint se quadrato, significant ægritudinem melancholicam, turbationem, uel damnum.

Si Saturnus fuerit dominus anni, & laeserit diuisorem, uel ascendens radicis, uel revolutionem, & præsertim Lunam, significat flegmaticos, & melancholicos humores, & catliarrum, præsertim circa inferiores corporis partes, si Saturnus fuerit in Sagittario, Capricorno, Aquario, uel Piscibus.

Saturnus dominus anni, ac dominus profectionis Lunæ, & similium Hylegiorum plurimum, curas animi, & sollicitudines, turbationesque uarias, & melancholicas passiones decernit.

VII.

SOptima domus significat mulieres, inimicos manifestos &c. Pro illis uide cuspides septimæ, ac dominos earum in ambabus figuris, & gradum diuisionis septimæ domus radicis, & eius diuisorem, in utraque figura, & cōmisse illis significata domini anni, Alfridiarum, &c. ut supra,

Aphorismi de tempore coniugij.

Directio Louis ad partem coniugij radicis, significat nuptias, etiam si fuerit fortis aspectus ad ipsam partem.

Ingressus Veneris ad locum Louis in revolutione, decernit plerumque uxorem.

Si dominus signi partis coniugij fuerit in eodem loco radicis, cum parte coniugij, completis primis annis illius signi, nuptiae decernuntur. Sunt autem tempora signorum Arietis 15. Tauri 21. Geminorum 27. Cancri 33. Leonis 37. Virginis 41. Libræ 41. Scorpionis 37. Sagittarij 33. Capricorni 27. Aquarij 21. Piscium 15. Si uero hunc locum non aspicerit, & sit alia stella ibi, cum tempora illius stellæ fuerint completa, nuptias pollicentur.

Quando profectionis ascendentis peruererit ad septimam radicis, uel si ascendens revolutionis fuerit septimum radicis, uel directio Lunæ ad stellas fixas fortunantes, sunt propria tempora coniugij.

Quando Iupiter applicuerit parti coniugij, uel pars ipsa ad Iouem, uel gradus septimæ ad gradum domini ascendentis, uel ad ipsummet ascendens, uel Iupiter ad gradum Veneris, significant coniugium.

Dominus ascendentis revolutionis in septima, à nullo aspectus, significant coniugium, & in nona, iter. In sexta, octaua, uel duodecima malas ualestudines, uel carceris angustias, uel malum ab inimicis, In undecima, spem bonam, In quinta, filium, &c.

LI ij Quando